



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Ad Pivm Lectorem Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341



AD PIVM LECTOREM P RÆFATI O.

Pvs à nobis inscriptum, *Praxis fori pœnitentialis*, non nisi prolixum esse potuit, ob terum in eo tractandarum tam multitudinem, quam varietatē. Ne igitur expertes illius plerique fierent, prolixitatē ipsam fastidientes, aut pecuniā, vel otij penuriam obtendentes, visum est in eorum gratiam seorsim edere, quæ ad Confessarij prudentiam pertinent, tamquam eidem peculiariter necessaria.

* 2

ria ad sacrum ministerium suum , de-
bitè, fructuosèque obeundum. Neque
enim ad id illi sufficit competens scié-
tia, sed adhuc opus est prudentia : eâ-
que tum Paternâ ad pœnitentem tam-
quam Deo mortuum, ad spiritalem vi-
tam disponendum, adhibita industria,
qua neque indulgentior sit, neque se-
uerior, quām par est ; tum etiam Me-
dicâ , ad eundem Pœnitentem curan-
dum, tamquam saucium plagis im-
positis relictum semiuiuum; sic adhibitis
remediis accommodatis, vt ea viten-
tur, quibus morbus augetur potius,
quām curetur: tum præterea Magistra-
li , ad ipsum quoque Pœnitentem,
tamquam peregrinum deuium redu-
cendum ad viam salutis ; ac de ea se-
dulò , pro captu ipsius, informandum:
tum demum iudicali ad proferen-
dam in eum ipsum tanquam reum in
vinculis positum , sententiam rectam,
æquam , & tempestiuam ; atque adeo
vitan

vitandum periculum soluendi ligandum, aut ligandi soluendum in suam, ac sui pœnitentis extremā perniciem. Vnde patet nobis summopere commendatam esse debere cognitionem pertinentium ad vnamquamque talēm prudentiam: quæ cognitio à nobis pingui Minerua quidem hic traditur, sed nihilominus magnificienda eo saltē nomine, quod instituitur, digitatürque ad opus eximiæ tum dignitatis, tum vtilitatis: quo scilicet Confessarius, tamquam Christi Iesu Regis Regum, & Domini dominantium gerens vices, miserum peccatorēm ex Diaboli filio æternis suppliciis obnoxio, Dei filiū, regni cœlestis hæredem facit, quasi in facrosanctum sanguinis eiusdem Christi thesaurum immissis manibus, ad abluēndam à peccatorum fordibus animam, & imaginem Dei in ea restituendam nitori suo cum ingenti cœlestium ciuium

* 3

gaudio, dicente Domino Luc. 15. Gau-
dium est in cœlis super uno peccatore pœni-
tentiam agente, quam super nonaginta no-
uem iustis qui non indigent pœnitentia. Va-
le in Christo, méque apud illum preci-
bus adiuua: vt hoc, quod offero opus-
culum, tamquam minutum à paupere
vidua missum in Ecclesiæ suæ
gazophylacium; acce-
ptum habere di-
gnetur.

THEOLO